

Alte Drucke

**F. IOAN. DVNS || SCOTI, || DOCTORIS SVBTILIS, || ORDINIS
MINORVM, || Theologorum omnium || PRINCIPIS, ||
Disputationes Collationales. || Nuperrime à ...**

Duns Scotus, Johannes

Venetiis, 1580

DISPVATIO. VIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150343

uum respectu effectus nobilioris, & multo fortius, & respectu effectus imperfectioris, ut patet de sole producente diuersa animalia ex putrefactione, quorum unum est perfectius alio. E ratio est, quia minor virtus requiritur ad productionem effectus ignobilioris, & quod potest in maius, potest in minus, sed anima separata est æquiuoca cum respectu intellectus sui & aliorum sensibilium, & intellectio sui est actus nobilior intellectione rei materialis, quia obiectum est nobilius, respectu autem intellectus sui, est causa effectiua totalis, quia in hac intellectione intellectus & obiectum sunt idem. ergo respectu intellectus materialis intellectus est totalis principium.

¶ Præterea hic arguitur de visione beata. Nam si ad actum videndi beatificum concurrat intellectus beati & obiectum, ut essentia diuina sequitur quod essentia diuina necessario habebit actionem ad extra. Probatio. omnis actio quæ competit Deo prius secundum ordinem, quam per respectum voluntatis, competit sibi ex natura rei & ex necessitate: sed essentia diuina, ut essentia est obiectum beatificum, sic autem secundum respectum præcedit seipsam, ut volens est, igitur si ut obiectum est intellectus beati concurrat ad causandum ipsam, sequitur quod necessario causabit ipsam. confirmatur, si Angelus videat Angelum, si obiectum concurrat ad actum intelligendi causandum, Angelus visus non obstat, quod sit intelligens, & volens, ut tamen est quoddam ens, & natura necessario concurreret

ad illum actum. igitur cum Deus consimiliter non solum, ut intelligens, & volens, sed ut natura sic concurreret ad actum videndi, necessario causabit illum actum in intellectu beati.

¶ Præterea, si in cognitione intuitiua, qua anima separata vel Angelus videt aliquod singulare presens, concurrunt intellectus possibilis & obiectum extra, sequitur, quod non sit necessario ponere intellectum agentem, quia actus intelligendi perfectior est, quam species. si igitur ad actum intelligendi causandum sufficit intellectus cum obiecto materiali, multo fortius sufficit cum obiecto materiali ad causandum speciem, & sic non requiritur intellectus agens, unde si propter translationem de ordine materialis ad immateriale, ibi non requiritur intellectus agens, nec oportebit in abstractione species, cum intellectio sit ita immaterialis, sicut species.

DISPUTATIO. VIII.

Verum actus intelligendi sit ab obiecto effectiue.



TRUM actus intelligendi sit ab obiecto effectiue. ¶ Videtur quod sic. actus distinguuntur per obiecta sua ex 2. de anima. hoc autem non potest intelligi formaliter, quia obiectum non est formaliter actus intelligendi. ergo formaliter per obiecta non distinguuntur, nec materialiter. certum est, quod materia actus est subiectum, in quo est, quod est anima. ¶ Similiter operationis

nis manentis in agente non est aliquid aliud, qđ est finis eius *h. met.* prater vsum ex. 9. meta. ergo distinguuntur per obiecta effectiue. ergo obiecta efficiunt in intellectu actus intelligendi diuerfos secundum speciem, imprimendo suas similitudines. ¶ Dicitur quod nullo istorum modorum actus distinguuntur per obiecta, nec in aliquo genere causę, sed tantum manifestatiue. nam cum actus intelligendi assimulantur obiectis, & non potentia intellectiua, ideo distinctio actuum magis manifestatur per obiecta, quam per potentiam intellectiuam, quamvis effectiue sint actus intelligendi a potentia intellectiua sola.

CONTRA, eadem causa limitata & eiusdem rationis nō potest esse sufficiens principiū effectuum respectu diuersorum specificę distinctorum, ergo cū diuersorum obiectorum secundum speciem sint diuersę intellectiones secundum speciē, non possunt diuersę intellectiones secundum speciem esse a sola potentia effectiue intellectiua, nisi concurrant effectiue obiecta distincta secundū speciem. dicitur ad hoc quod potentia intellectiua ex sua dignitate & perfectione actiua, habet diuersas virtutes, per quas potest in diuersas operationes secundum speciem, & obiectum, licet non causet effectiue actum intellectus in potentia intellectiue, tamen determinat intellectum, qui est potentia indeterminata omnino ad hunc actū, vel ad illum. ideo intellectus per hoc, quod habet diuersas virtutes, & per hoc quod obiecta di-

uersa determinant, potest elicere intellectiones distinctas secundum speciem, vt sic solus intellectus facit ad causalitatem actus, quantum ad diuam actus, sed obiectum quantum ad determinationem actus, vt actum determinat, tamen potentia indeterminata de se, determinata ab obiecto eliciat.

CONTRA hoc quod dicitur, quod obiectum determinat potentiam ad actum, ex hoc sequitur propositum, quia quicquid est in intellectu impressiue ab alio est vel species, vel actus, vel habitus. Si igitur obiectum effectiue determinat intellectum illud impressum in intellectu, quod ipsum determinat ad actū, erit vel species, vel habitus, vel actus, & tunc sequitur propositum dupliciter. ¶ Primo quod tale non sit species, quia ante talem determinationē intellectus species imprimitur, in qua obiectum relucet, quod ponitur potentia intellectiuam determinare, nec habitus, quia huius determinatio potest precedere actum intelligendi, & habitus causalitatus ex actu intelligendi sequitur actus, ergo relinquitur, quod illud impressum sit actus intelligendi. ¶ Secundo sequitur propositū, quia cum huius determinatio intellectus non potest in actum intelligendi, nisi in quantum determinatur ab obiecto. igitur in intellectus non sufficit ad causandum actum intelligendi sine actione obiecti in intellectum. ergo concurret obiectum ad causandum actum intelligendi, quia determinatio actus concurret ad eliciendum actum, cū intellectus (in quantum sic determinatur) actum eliciat, & sic habet.

habetur propositū, quia actus intelligendi non sit a sola potentia intellectiva effectiue.

CONTRA hoc, qđ secūdo dī, qđ intellectus habet diuersas virtutes ad cauandū diuersas operationes sūm speciem. Nam siue potētia aīa ponat essentia animā, siue absolutum additū per hoc, qđ aīa hēt virtutes respectu diuersarū operationū sūm spēm hēt diuersas prātes. aliter enim intellectus & voluntas nō essent diuersę potētię. ergo si intellectus habeat virtutes diuersas respectu diuersarū operationum sūm speciem, sequitur quod intellectus sit plures potētię.

CONTRA hoc, qđ tertio dī, qđ intellectus cāt substantiā actus, & obiectum determinationem in actum, qm̄ hic actus, vt hic actus, quo attingitur obiectum determinatus est. ergo qđ hēt sufficientem cālitatē respectu substantię istius actus, habet et sufficientē cālitatē respectu determinationis ī isto actu, si igitur solus intellectus sit per se cā substantię illius actus, sequitur qđ solus intellectus sit cā determinationis illius actus. Vnde ab eodem est actus secundum substantiam, & secundum determinationem illius.

AD PRIMVM istorum dicitur, qđ illud impressum ab obiecto in intellectu, quo intellectus determinatur ad actum determinatum eliciendum non est spēs, nec habitus, nec actus, sed est sola passio de genere passionis, quā intellectiva potētia inclinatur ab obiecto, ad actum determinatum, sicut intelligere non est aliquid absolutum, sed actio quādam, vel passio sim-

plex, quā est actus perfecti.

CONTRA, phi. 5. phys. probat per plures rationes ex intentione, quod ad actionē non est motus neque ad passionē, ergo impossibile est, vt motus quo intellectus mutatur ab a, esse indeterminato ad esse determinatum per actionem obiecti determinantis, effectiue terminetur ad solam passionem.

PRÆTEREA, quicquid patitur realiter, patitur secundum aliquam formam, quod enim aliquid patitur, & tamen qđ nihil absolutum in passione linquatur est oppositum in adiecto. vnde sicut nihil mouetur secundum motum, sed secundum aliquam formam, secundum quam mouetur, ita nihil patitur secundum passionem, sed secundum aliā formam, secundum quam patitur. ergo si intellectus patiatur ab obiecto per hoc, quod ab ipso determinatur, oportet vt aliam formam imprimat, secundum quam patiatur.

PRÆTEREA, nihil potest esse principium, & ratio formalis operandi, nisi aliqua forma absoluta, & non sola passio, non enim per solam passionem, vt per principium & rationem formalem dicitur aliquid agere, sed secundum dictam responsionem intellectus non potest agere, nisi inquantū ab obiecto determinatur. ergo illud per quod intellectus sic determinatur, non potest esse sola passio, sed aliqua forma absoluta.

PRÆTEREA, posita cā sufficienti & naturali, & materia circa quam agit, si habeat opera-

operationem transeuntem potest agere circumscripto quocunque alio. Aliter enim non esset causa sufficiens. ¶ Si igitur intellectus sit sufficiens causa & totalis respectu intellectiōis, cum ipse sit causa naturaliter agens, & non libere, circumscripta determinatione, & quocunque alio, adhuc poterit agere, ergo intellectus ageret, licet ab obiecto non determinetur ad intelligendum.

VEL SVB alia forma sic, intellectus autem habet totā causalitatem respectu intellectiōis, aut non. si non totā causalitatem habet hic propositum, quod actus intelligendi non sit a sola potentia intellectiva. Si vero intellectus habet totā causalitatem respectu intellectiōis, cum posita tota causalitate effectus naturaliter causante, ponitur effectus, sequitur quod intellectus sine obiecto, & sine determinatione facta ab obiecto intelligere posset. ¶ Aliter dicebatur ad rationem superius factā, quod alio modo determinatur potentia activa & potentia passiva, nam potentia passiva est potentia contradictionis, & non determinatur ad aliquem actum secundum, nisi per aliquam formam quae sit principium actus secundi sibi impressam, vel lignum non determinatur ad calcifiendum, nisi per calorem sibi impressum, sed potentia activa ad hoc, quod determinetur ad agendum non requiritur quod aliquid sibi imprimatur, sed sufficit sola approximatio materiae circa quam agit. hoc patet 9. Metaph. ubi probat philosophus, quod ad hoc, quod potentia naturalis exeat in actu, non requiritur, nisi quod sit approximatum passum, ita quod hoc sit natum age

re, & illud pati, & non quod aliquid sit potentia activa impressum, & ideo cum secundum praedictam opinionem potentia intellectiva, ad hoc quod determinetur ad certum actum eliciendum, non requiritur quod aliquid sibi imprimatur, sed sufficit sola exhibitio obiecti, in quod per actum suum tendit. Ratio igitur superius facta falsum supponit, quod obiectum effectivum determinat intellectum. & ideo non imprimit obiectum aliquid intellectui, nec actum, nec speciem, nec habitum, sed intellectus in seipso causat actum intelligendi. ¶ Sed tunc restat respondere ad unam rationem prius factam, quando arguitur quod causa unius rationis non potest esse principium sufficiens respectu diversarum operationum distinctarum specie.

AD QVOD dicitur, quod hoc verum est de causa univoca, sed non de causa equivoca, quod per exhibitionem diversorum obiectorum causat diversas operationes specie distinctas, vel sol confringit lutum, & dissolvit glaciem: intellectus vero est causa equivoca, & aliquo modo limitata respectu intellectiōis, & ideo per conformitatem ad diversa obiecta potest sua causalitate diversas intellectiōes causare.

SED CONTRA hoc arguitur, quia posse producere duas intellectiōes duorum obiectorum specie distinctorum, est maioris perfectionis, quam posse producere unā istarum tantum: sicut posse producere duas species, & duos effectus specie distinctos maioris perfectionis est, quam producere unum istorum: aliter enim habens virtutem ad producendum unum istorum tantum haberet

haberet virtutem ad producendum ambo, quod falsum est, & eadem ratione posse producere tres intellectiones maioris perfectionis est, quam producere duas. cum igitur intellectiones possint inuicem succedere in infinitum, si intellectus habet virtutem actiuam sufficientem respectu vnus intellectionis, habet virtutem cauandis infinitas intellectiones successiue, sed hoc est infinita perfectionis vt probatum est, cum posse in tres intellectiones successiue sit maioris perfectionis, quam posse in duas, & ita posse in infinitis successiue erit infinita perfectionis. igitur intellectus erit infinita perfectionis, & infiniti vigoris, quod est impossibile.

AD HANC rationem dicebatur primo ostendendo, quod hanc ratio non magis concludit contra opinionem ponentem, quod intellectus sit totalis causa in intellectionis, quam contra aliam opinionem ponentem, quod non sit tota causa intellectionis, sed partialis, quae cum obiecto concurrat ad efficiendum actum intelligendi, quoniam causalitas, & actualitas partialis, qua intellectus cum duobus obiectis specie distinctis potest producere diuersas intellectiones specie distinctas, est maioris perfectionis, & virtutis in intellectu, quam causalitas partialis, qua cum vno obiecto potest in vna intellectione secundum speciem probatur hoc, sicut ipsi probant, quia aliter habens causalitatem partialem respectu vnus intellectionis, tantum haberet causalitatem partialem respectu duarum intellectionum specie distinctarum, & hoc etiam patet esse verum.

cum intellectus maioris visum, & maiorem virtutem habet ad intelligendum maius intelligibile, vt substantiam determinatam ad intelligendum minus intelligibile, & maioris difficultatis est ad cognoscendum maius intelligibile, quam minus. haec autem difficultas non est ex parte intelligibilium, quia vnum obiectum, quantum est de se natum est imprimere & agere cum intellectu, sicut aliud, igitur secundum deductionem rationis perfecta posse successiue in infinitas intellectiones secundum speciem, sicut causa partialis concludit in intellectu infinitatem virtutis.

AD RATIONEM in se dicebatur quod ratio supponit, quod potest esse processus in infinitum in speciebus & obiectis distinctis secundum speciem, respectu quorum possunt esse intellectiones infinitae distinctae secundum speciem: hoc autem suppositum dubium est valde. an Deus super omnem speciem posset aliam in infinitum producere, hoc tamen supposito ulterius dicitur ad rationem, quod posse producere hanc intellectionem & illam est maioris virtutis, quam producere vnam tantum, & hoc quia istae intellectiones sunt inaequales, & vna est nobilior, quae erit respectu nobilioris obiecti, cuius cognoscibilitas non excedit virtutem intellectus, sed sic procedendo in infinitum in obiecto secundum speciem & intellectionem ultimo erit deuenire ad aliquod obiectum adaequatum virtuti intellectus, cuius cognoscibilitas adaequat virtutem cognitiuam intellectus, quod et natum est ab intellectu cognosci, quam-

quantum cognoscibile est, & circa illud obiectū intellectus natus est habere actum intelligendi perfectum, quem habere potest, & si tunc producatur aliqua species nobilior quā excedit virtutem cognitiuam intellectus circa illud obiectum intellectus non habebit perfectiorem actū cognoscendi, & tandem ascendendo habebit actum imperfectiorem cognoscendi, & minus intentum circa obiectum nobilius, quā circa obiectum adaequatum sibi, & tunc posse producere aliam intellectionem imperfectiorem & perfectiorem circa obiectum sibi adaequatum, non est maioris virtutis producere illam intellectionem perfectiorem tantum, quia per eandem virtutem in summo, per quam potest in actum perfectiorem, potest etiam in actum imperfectiorem circa nobilius obiectum, quod excedit virtutem intellectus cognitiuam.

CONTRA, fiat ratio praedicta non de inaequalitate obiectorum & intellectionum, sed de pluralitate intellectionum secundum speciem, quamuis essent aequales, & obiecta aequalia, sic posse producere duas intellectiones aequales secundum speciem maioris virtutis est, quā posse producere unam tantum, ergo posse producere infinitas intellectiones diuersas secundum speciem etiam aequales, erit infinita perfectionis & virtutis, sed hoc posse conuenit intellectui, si sit sufficiens causa respectu intellectionis cuiuslibet obiecti, ergo ut prius sequitur, & intellectus sit infinitus in vigore. Præterea, quod dicitur, & dubium est de processu in infinitum

in productione specierum, hoc nihil facit ad propositum, quia siue possibile hoc sit, siue impossibile ratio aequaliter concludit, quia si ponatur per impossibile, quod super quamcunque speciem posset produci alia in infinitum, & quod solus intellectus causet intellectionem, cum omne producibile possit ab intellectu cognosci, & posse cognoscere, plura obiecta secundum speciem sit maioris virtutis in intellectu, et successiue, quā posse cognoscere pauciora, sequitur secundum rationem priorem, quod intellectus sit infinitus in vigore, sed hoc impossibile non sequitur propter propositum hoc, quo ponitur processus in infinitum in speciebus rerum, quia & si hoc verum esset, quod essent species infinitae, adhuc cum hoc esset una species limitata, sicut modo est intellectus eius, esset finitus in perfectione. ergo illud impossibile sequitur ex hoc, quod ponitur intellectus actiuus sufficiens ad causandum intellectionem. Unde & philosophus aliquando in arguendo supponit impossibile, dum tamen ex impossibili non sequatur impossibile. ut probando, quod tempus non sit motus coeli, arguit quod tunc si plures essent motus coeli, plura essent tempora, cum tamen antecedens sit impossibile apud eum. Similiter Aug. probando quod innascibilitas & paternitas non sint eadem notio, arguit quod & si pater esset ab alio in diuinis, adhuc esset pater, & non innascibilis.

AD PRIMVM horum dicitur, quod si essent essent aequales species in perfectione, tunc posset producere duo, non esset maioris perfectionis, siue virtutis,

*Philoso-
phus.*

Aug.

tis, quàm posse producere vnā, sicut nec posse successiue producere duo indiuidua, arguit maiorem perfectionem intensiua, quàm posse producere vnū indiuiduum, immo tunc per eadē virtutem per quam ratio vel cā potest producere vnā & aliā.

CONTRA, si esset aliqua causa, quæ haberet formaliter causalitates infinitarū causarū vniuocarum, equalium in perfectione, illa esset infinita. ergo cū habere causalitatē alicuius virtualiter, sicut habet causa æquiuoca, sit perfectius habere causalitatem, quàm habere formaliter, sequitur quod causa æquiuoca virtualiter habens causalitatem respectu infinitorum effectuum specie differentium, licet essentialium sit infinita perfectionis intensiue, igitur si intellectus habeat causalitatem respectu intellectuum infinitarum specie æqualium in perfectione, erit infinita in perfectione.

PRÆTEREA, si possit producere duas species in perfectione, non sit maioris virtutis, quàm producere vnā, tunc habens virtutem ad producendū vnā, haberet virtutem ad producendū duas, & sic cum vna species habeat virtutem ad producendū indiuiduum speciei suæ, sequitur quod vnaquæque species possit producere aliam indifferenter, quod falsum est.

AD PRIMVM, quod si omnes species essent æquales in perfectione, sicut indiuidua vnius speciei, tunc illa causa quæ includet formaliter causalitates omnium non esset infinita intensiue, sed solum extensiue. Si enim esset infinita intensiue,

necessario perfectio vnius speciei esset maior, quam perfectio alterius.

AD PRIMVM principale arguitur per philosophum. 7. *Philosophi* Met. ubi vult. quod principium omnium in syllogismis practicis, est quod quid est, ex quo fuit syllogismi. ¶ Vnde artibi quod sicut eorum quæ sunt a natura est potentia in spermate, per quam sit aliquid simile, sic eorum quæ sunt ab arte est principium rei factæ, vt conclusiones practicae reducuntur in principia, & principium quod quid est, sed quod quid est obiectum est intellectus, ergo obiectum intellectus est principium actuum eorum, quæ sunt ab arte quorumcunque species est in anima. speciem autem dico, quod quid erat esse, cuiuscunque, & illud quod quid erat esse rei artificialis in anima, dicit esse principium actuum cognitionis factiue siue artificialis propter quod etiam principium dicit in artificialibus simile sit a simili. ¶ Vnde concludit quod si sanitas sit ab arte, tunc species quæ est ab anima est faciens, vnde incohat motus sanandi, & sic dicit quod accedit sanitatem ex sanitate fieri, quia ex sanitate in anima sit sanitas in re extra, si autem solus intellectus esset principium actuum cognitionis artificialis, tunc in artificialibus nullo modo fieret simile ex simili, nec ex domo in anima fieret domus extra, sed ex solo intellectu, qui nō magis assimilatur domui, quā sanitati.

QVÆ.